



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *PERAMIHOËNSIS - IRINGAËNSIS*  
(NJOMBENAE)\* SEIUNCTIS A CIRCUMSCRIPTIONIBUS ECCLESIASTICIS PERAMIHOËNSI ET IRINGAËNSI  
NONNULLIS TERRITORIIS, NOVA CONSTITUITUR DIOECESIS, NOMINE «NJOMBENA». Sicut solliciti  
patrisfamilias, qui caritatem suavitatemque in natos aequa partitur, haud inani sane laetitia animus  
Noster perfunditur, quotiens alia ex aliis nascitur dioecesis et Ecclesia sancta, fines suos quotidie  
proferens, novas gentes ad Christi legem amplectendam moribusque servandam suaviter allicit.  
Cum ergo Sacrum Consilium Christiano Nomini propagando, de sententia venerabilis Fratris  
Vidonis Del Mestri, Archiepiscopi titulo Tuscamensis atque iam Apostolici in Africa Orientali  
Delegati, post auditos quoque venerabiles Fratres Hermannum Spiess, Episcopum titulo  
Cemerinianensem atque Abbatem nullius Peramihoëensem, necnon dilectum Filium Atilium  
Marinangeli, Administratorem Apostolicum Iringaënsis dioecesis, cupiens christifidelium utilitati  
inservire, a Nobis petierit ut, detractis a Peramihoënsi et Iringaënsi Ecclesiis quibusdam territoriis,  
nova ibidem dioecesis excitaretur, censuimus admotis precibus esse concedendum. Suppleto  
igitur eorum consensu qui aliquod ius in hoc negotio haberent, de summa Nostra et apostolica  
auctoritate haec, quae sequuntur, decernimus et iubemus. Partem boreo-occidentalem territorii  
Abbatiae nullius Peramihoënsis necnon partem austro-occidentalem territorii dioecesis  
Iringaënsis, vulgo «Njombe District» cognominatas, ab iisdem circumscriptionibus ecclesiasticis  
seiungimus, atque ex eo novam dioecesim constituimus, *Njombenam* ab urbe principe  
appellandam. Novae circumscriptio sedem Episcopus ponet in urbe cui nomen «Njombe» et, ut  
aequum est, iis omnibus iuribus utetur et privilegiis quibus residentes Episcopi per terrarum orbem  
fruuntur, oneribusque congruis obligabitur. Sive dioecesis Njombena praeterea sive eius Praesul  
Sedi metropolitanae Daressalaamensi subicientur tamquam suffraganei. Quod autem ad regimen  
et administrationem attinet, ea serventur quae Codex Iuris Canonici statuit et peculiares leges  
quas Sacra Congregatio de Propaganda Fide dederit. Permittimus tamen ut ob locorum atque  
temporum adjuncta, Canonicorum loco Consultores dioecesani ab Episcopo deligantur qui ei  
consilio et opere assint. Ceterum quae per has Litteras mandavimus exsequenda is curabit qui, eo  
tempore quo negotium agendum erit, Apostolicam in Africa Orientali Delegationem regat, vel per  
se ipse vel per alium, factis ad id necessariis facultatibus. Re autem peracta, idem documenta  
exarari iubebit eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito  
mittet. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem**

ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri preeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die decimosexto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri quinti.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

*S. R. E. Cancellarius*

CAROLUS Card. CONFALONIERI

*S. Congr. Consist. Pro-Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regenslophas Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Protonot. Apost.*

Iosephus Del Ton, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LX (1968), n. 6, pp. 323-324 © Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana